

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Jonstoni Historia Naturalis

Ioann. Ionstoni|| Historiae Natvralis|| De|| Exangvibvs|| Aqvaticis|| Libri IV||

Jonston, Jan


Heilbrunna, MDCCLXVII.

VD18 90529022

Illustration: Tab. V. Tamaru Guacu ...

urn:nbn:de:gbv:45:1-11100

Tamaru Guacu.



Cancer: marinus. Krab. Tab. V.



Cancer


Anoninus Rondel.

Cancer Heracleoticus Rondel.



Cancer

mar. mer spin.



Hypocarcinus.




Cancer Heracleoticus aller.




Cancer

Crabbe.



Cancer Heracleoticus. 3.




Cancer Rondel.

Cancer Krabbe.



Pagurus farn.

Pagurus mar. mer spin.



abradentes devorant. Sole signum Cancris transeunte, Cancrorum cum exanimati sunt corpora in sicco transfigurari in Scorpiones Plinius author est. Ovidius, brachiis orbos, scorpiones, si sub terra occultent, urproducere, prodidit. Latent mensibus quinque, et veris principio senectutem anguium more exuunt renovatione tergorum, et tum mollis admodum crusta subnaescitur, et vix prae teneritate ambulare possunt.

Ufus. Durae sunt carnis, ideo difficiles concoctae, sed firmi alimenti. Id apud Galenum, Athenaeum, et alios invenies. Nec in Medicina spernuntur. Plinius Sole cancri signum transeunte contra serpentum ictus mederi tradit. Sues percussas hoc pabulo sibi mederi

Thrasyllus author est. Apri hyosciammo devorato Cancros pro remedio quaerunt. Cervi a phalangio vel quovis alio admorsu iisdem sibi medentur. Carbunculos et carcinomata in mulierum parte, praesentissimo remedio sanari, tradunt, Cancro foemina cum flore salis contuso, post plenam lunam, et aqua illita, ut apud Plinium legimus. Ad stranguriam, tres in aceti cyatho cocti, in mortario contusi et expressi propinantur. Succus cum aqua florum Cyani destillata expressus, gingivis puerorum in dentitione salubriter illinitur. Pulverem Ranzovii ad dissectionem nervi apud Aldrovandum vide. Lapis in capite repertus, et aceto acerrimo immixtus, motum manifestum habere deprehenditur.

ARTICVLVS II.

De Cancris in specie, et quidem de Cancris extra conchas in salis aquis degentibus.

PUNCTVM I.

De Cancro marino.

TAB. IV. **C**ancris degunt extra conchas, vel in
TAB. V. istis. Illi vel sunt in aquis salis vel in dulcibus. Inter illos, qui in aquis salis sunt, *Cancer marinus*, *Cancer Maja dictus*, *Pagurus*, *Cancer eques*, *Cancer flavus*, *undulatus* Rondeletii, *Cancer varius*, *Cancer cordis figura* et alii *Chelorum longitudine* differentes. *Cancro marino* generis nomen inditum est, nec in eius descriptione Rondeletius, Belonius, et Gesnerus conveniunt.

Rondeletii acuminatus magis est parte anteriore prope oculos, et duo habet cornicula, quibus horum caret. Rotundo est ac circinato corpore Belonii, anteriore parte crenis diviso, crustaceo tegmine convestito. Majores trium aut quatuor digitorum latitudinem non excedunt. *Hepar* habent rubrum, quod Aristoteles mutim nominare videtur. Intestina multiplicibus cirris obfusa, moventurque horum partes solidiores albis musculis agentibus. Aldrovandus aliam observavit speciem, cujus pes ultimus, qui ab utraque parte est, brevioribus et crassioribus constat internodiis, et aliis pedibus est curtior, in fine duabus, aliis articulationibus latior. Plurimi prope insulam Canibalorum, quae

hodie Domeneca dicitur, reperiuntur, et quia in saxis habitant, *πετρώεις* Oppianus dixit. Sunt et *mares* et *foeminae*. Illis color rubentior, his ex livido in cyaneum tendit. Mares foeminas opprimere videntur antequam ineant. Crura in ventrem inflectunt, dum incedunt. Rondeletius foeminae partem inesse quandam croceam scribit, qua mares carent. Ovorum putat esse materiam. In Bosphoro Thracio, vento violento ingruente, contra fluctus nituntur: Circa promontoria, ubi major vis venti, singuli in sinuoso loco se tenent.

Maxime, in *Cibis*, foeminae cum ovis turgent laudantur, ideo majus earundem Bononiae pretium. In India succo dulci cum luna parturit turgere, plena eodem destitui, a quibusdam proditum. In *Medicina*, phthisicis carnem prodesse Rondeletius experientia docuit, quod et apud Marcellum invenies. Stranguriam sanant si duarum drachmarum pondere ex lacte materno vel nutricis infantibus porrigantur. Ad quartanam, scabiem, et oculorum lachrymas ab Avicenna, ad Carcinomata a Plinio laudantur. Iidem pilos e mamma tollunt.

Alcian. H.
Al. 7. c. 24.

Ufus.

d

PVN-